

Fr. Grunacker Christ. Eberh. Görss

**Dissertatio Logica ...**


## **1 : Dissertatio Logica Prima, De Praecognitis & Antepaedicamentis**

Berolini: Schelechtiger, 1718

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815357982>

Band (Druck) Freier  Zugang








Ec-1054.









DISSERTATIO LOGICA  
PRIMA,  
DE  
PRÆCOGNITIS & ANTEPRÆ-  
DICAMENTIS,

QUAM  
PRÆSIDE  
M. FR. GRUNACKERO,

DEFENDET  
D. 4. Jan. 1718.  
RESPONDENS

CHRIST. EBERH. GÖRSS,  
BEROL. MARCH.

IN MUSÆO DN. PRÆSIDIS.


---

BEROLINI, *Wipperman*,  
Imprimebat GOTTHARD SCHELECHTIGER, Reg. ejusdemque  
Societ. Scient. Typogr.



VIRO  
REVERENDISSIMO; PERIL-  
LUSTRI ATQUE EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO

MARQUARDO  
LUDOVICO



LIBERO BARONI

DE

PRINZEN,

POTENTISSIMI BORUSSIÆ  
REGIS SUPREMO AULÆ MA-  
RESCHALLO ET MINISTRO,  
STATUS INTIMO,

&c. &c. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

Vitam diuturnam, vires animi & corporis exoptatas, successus  
consiliorum prospèros, felicitatem perennem a Patre Luminum in Christo appre-  
catur hoc levidensè Specimen benevole consecrat & se humanissime commendat

*Hamillinus Servus*

Ch. Eb, Görfs,



Σὺν Θεῶ.

PROOEMIUM.

DE DEFINITIONE & DIVISIONE  
LOGICES.

**I. LOGICA** (a) est habitus instrumentalis, (b) tradens modum discurrendi (c) de re quavis, (d) ut intellectus verum inquirere & a falso discernere possit. (e)

**II. PARTES LOGICÆ** duæ sunt: Generalis, quæ agit de terminis, enunciationibus & ipsis Syllogismis. Et Specialis, quæ agit de materia triplici Syllogismorum sc. necessaria, probabili & Sophistica, pariterque de fructibus logicæ, de Definitione, Divisione & Methodo.

A 2

PAR-

Resp.  
Christ.  
Eberh.  
Görls.

Opp.  
Johann.  
Georg.  
Brandes.  
Chr. Ern.  
Simonet-  
ty.

- (a) LOGICA est vox græca & descendit a λογω. primario quatenus rationem significat, secundario quatenus orationem vel sermonem significat ore aut calamo prolatum.
- (b) Genus in definitione est habitus instrumentalis eine Fertigkeit/ die man gebraucht als ein Instrument, daß man in allen übrigen Disciplinea glücklich fortkommen kan.
- (c) Differentia logicæ est, quod tradat modum discurrendi vel rationabiliter unum ex altero concludendi. Unde logica dicitur eine Vernunft-Kunst/ da man seine Vernunft recht weis zu gebrauchen. Quod neque de Grammatica, neque de Rhetorica dici potest.
- (d) Objectum Logicæ adæquatum est res quævis sive omne ens, sed quatenus secundis notionibus substat. h.e. conceptibus philosophicis, generibus speciebus, &c.
- (e) Finis Logicæ. (α) Internus, quo illa nunquam excidit, est Syllogismus. (β) Externus, quem non semper potest assequi, est Veritas. Nam eum in finem discimus logicam ut possimus Syllogismum facere, & mediante hoc veritatem inquirere, quo conceptus noster convenientiam habeat cum ipsa re.



# PARTIS GENERALIS

## LIBER I.

### DE ANTEPRÆD. PRÆDIC. & POSTPRÆDICAMENTIS.

#### SECTIO PRIMA.

#### DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

#### CAP. I.

#### DE TERMINIS.

I. ANTEPRÆDICAMENTA sunt explicationes quorundam terminorum, ad meliorem cognitionem Prædicamentorum necessariae ac utiles.

II. TERMINUS est vocabulum certam rem complectens & aptum ut poni possit in enunciationibus, e. g. Deus, Angelus, homo, &c.

III. Terminus est, (a) Homonymicus, (b) Synonymicus & (c) Paronymicus. Absolute dicuntur Homonyma, Synonyma, & Paronyma. \*

IV. HOMONYMA \*\* dicuntur, quorum solum nomen commune est, definitio vero juxta illud nomen

---

\* Terminus a nonnullis etiam dividitur (1.) in Categorematicum, qui certum quid significat & subjectum vel prædicatum in enunciatione esse potest, e. g. Homo, Rex, Petrus, &c. (2.) In Syncategorematicum, qui cum aliis vocibus conjunctus demum constituit subjectum vel Prædicatum. Quo pertinent omnia adverbia, præpositiones, conjunctiones, interjectiones, casus obliqui, &c. Et (3.) in Mixtum, qui Categorematicum & Syncategorematicum complectitur. e. g. Nemo h. e. Nullus homo. Semper h. e. omne tempus. Ubique h. e. Omne  $\pi\delta$ , &c.

\*\* HOMONYMA descendunt ab  $\sigma\mu\iota\omicron\varsigma$  similis &  $\delta\nu\omicron\mu\alpha$  nomen, quia homonyma simile nomen habent. Alias etiam dicuntur ÆQUIVOCA.



men plane est diversa, e.g. Animal illud astutum quod gallinis insidiatur, atque homo callidus & versutus, qualis Herodes fuit habent in sacris Luc. 13. 32. unum commune nomen sc. vulpes, non tamen eandem definitionem. Nam aliter Herodes definitur, & aliter animal illud astutum.

V. Homonyma sunt duplicia (1) Pure talia vel casu facta, ubi non dari potest ratio, cur pluribus rebus diversissimis tribuatur unum commune nomen, e.g. das Recht und die Suppe dicitur jus, die Schlaffe und die Zeiten dicuntur tempora. Inter has res nulla datur convenientia, & tamen habent communia nomina. Et (2.) Analoga vel consilio facta, ubi dari potest ratio, quare pluribus rebus diversis tribuatur unum commune nomen, e.g. Magistratus in sacris dicuntur אלהים nomine Deo T.O.M. proprie convenienti, quia vices Dei gerunt in terris Pf. 82. 1. 6. \*

VI. SYNONYMA \*\* sunt, quorum & nomen commune est & definitio juxta illud nomen est eadem, e.g. equus leo, canis, &c. sibi vendicant hoc commune nomen sc. animal & simul etiam illius definitionem, E. Sunt Synonyma logica.

VII. Synonymum est vel Unifocum, quod & nomen & definitionem æqualiter tribuit suis

A 3

uni-

\* Sunt autem Homonyma vel Homonyma homonymantia vel Homonyma homonymata. Illa sunt ipsa nomina communia, e.g. Vulpes, jus, אלהים.

Hæc autem sunt diversæ res sub illis nominibus Latentes. Vid. §. IV. & V. In his paragraphis simul annotamus quod sermo sit, de Homonymis homonymatis.

\*\* Definitio loquitur de synonymis synonymatis, seu ipsis rebus, quibus unum commune nomen tribuitur, non vero de synonymis synonymantibus, seu de vocabulis, quæ rebus multis cum definitione sua competunt. Sic virtus est synonymum synonymans, & fortitudo, justitia ac liberalitas sunt synonyma synonymata.



univocatis, e. g. avis æqualiter & alaudæ & aquilæ & fringillæ nomen suum pariterq; definitionem communicat. Vel Analogum, quod & nomen & definitionem inæqualiter tribuit suis analogatis sc. uni primario & alteri secundario, e. g. Spiritus & Deo & angelis imo & animabus nostris nomen & definitionem communicat, sed Deo tamen primario, & reliquis secundario. \*

VIII. PARONYMA \* \* sunt, quæ derivata sunt ab alio, per quod denominant sua subjecta, e. g. fortis est paronymum, quia derivatur à fortitudine, per quam Alexandrum denominamus fortem.

IX. In Paronymis hæc tria observanda sunt: (1) Forma denominans, vel id unde aliquid derivatur, e. g. justitia, liberalitas. (2) Denominativum vel id quod ab alio derivatur, e. g. Justus, liberalis. Et (3) Denominatum, vel subjectum quod a forma denominante denominatur justus & liberalis, uti Aristides & Cimon erat. \* \* \*

X.

\* Synonyma alias etiam sunt (a) Mystica, quæ in rebus mysticis & divinis occurrunt, e. g. Deus est Synonymum mysticum, & essentialiter dicitur quoad nomen & quoad definitionem de suis synonymatis, Patre, Filio & Spiritu S. (b) Transcendentalia quæ in Metaphysicis locum habent, e. g. Ens est synonymum transcendentale quod de Deo & creaturis prædicatur synonymice. Recte enim dico, Deus est Ens, & Creatura est Ens. Deus habet essentiam realem & positivam, & creatura eandem habet. (c) Prædicamentalia quæ in prædicamentis reperiuntur. Quo pertinet quando Logici dicunt, omne synonymum est vel genus, vel species, vel differentia, quod valet de prædicamentibus, non autem de aliis Synonymis.

\* \* Paronyma alias dicuntur Derivata, a plerisque Derivativa. Est autem derivatio alia Grammatica, quæ respicit simplicitatem syllabarum, e. g. Sic a voce justus derivatur justitia, a castus derivatur castitas; alia Logica, quæ attendit simplicitatem rei, e. g. Sic justus ceu duo involvens, rem sc. & personam, derivatur a justitia, fortis a fortitudine beatus a beatitudine.

\* \* \* Non autem requiritur ut omnis denominatio sit intrinseca, & forma denominans revera in subjecto inhaereat, quomodo aqua calida dicitur a calore sibi inhaerente; nam datur etiam denominatio extrinseca, quando forma denominans



X. Huc pertinet terminus abstractivus & concretivus ; absolute dicitur Abstractum & concretum.

XI. Abstractum \* est forma simplex, qua notatur res simplex, e. g. Sapientia, prudentia, temperantia.

XII. Concretum \*\* est quod compositum significandi modum habet, e. g. Sapiens, prudens, temperans.

XIII. Præterea terminus est vel singularis s. individualis, vel universalis s. prædicabilis. Absolute individuum & prædicabile : De quibus in seq. Cap.

## CANONES.

I. Homonymia sæpe perit vocis alicujus adjectione, e. g. Cum dico video canem latrantem, statim alter intelligit quod mihi sermo non sit de cane in cælo &c. Ergo vox latrans tollit homonymiam.

II.

nans non in denominato, sed in externo aliquo subjecto est, ad quod tamen denominatum certum aliquem respectum involvit; sic homo dicitur justus coram Deo non per propriam suam sed per Christi justitiam, quam sibi vera fide applicat: ita quoque Christus per externam denominationem vocatur peccator respectu nostri & propter alienum peccatum.

\* Non agitur hic de abstracto physico, quomodo piscis a fluvio abstrahitur, vestimenta a corpore &c. Sed de abstracto logico, quomodo res a nobis concipitur simplex sine connotatione subjecti in quo est, e. g. Sic a nobis concipitur temperantia, liberalitas, taciturnitas, magnificentia, non concepto simul subjecto, in quo illæ virtutes reperiuntur.

\*\* Concretum a concrefendo nomen habet, quia cum alio quasi concrefcat: notat enim id, quod inest, & connotat id, in quod inest. E. concretum non unum dicit. Notandum autem est de concretis, quod non sint semper adjectiva, sed sæpe etiam substantiva, e. g. Rex denotat tum personam, tum Regimen. Quo pertinent omnia nomina officiorum, ut Consul, Doctor, &c. quibus involvitur præter officium, quod gerunt, etiam subjectum, cui officium illud competit. Omne ergo adjectivum est concretum, sed non reciproce.



- II. Analoga \* per se posita stant pro significato famosiore, e.g. Voce primum אלהים audita, non Angelos vel Magistratum, sed verum Deum mens sibi concipit.
- III. Analogia \*\* non negat veritatem rei, e.g. Licet vox Spiritus Deo primario attribuat & Angelis secundo, tamen non ideo desinunt esse Angeli veri Spiritus.
- IV. Cui tribuitur concretum, \*\*\* ei quoque tribuendum est abstractum, e.g. Christo tribuitur quod sit sanctus (concretum) Hebr. 7, 26. ergo etiam in ipso fuit sanctitas tanquam abstractum, vel ipsi hæc attribuenda est.
- V. Omnia accidentia prædicantur \*\*\*\* de substantiis paronymice, e.g. Castitas est accidens, quare de Josepho prædicatur paronymice & in concreto, ita, Josephus est castus.

CAP.

---

Paronymum est vel mysticum, quod rebus mysticis tribuitur, e.g. Deus est justus, omnipotens, æternus. Vel transcendentalis, quod reperitur in rebus transcendentalibus, e.g. Omne ens est unum, verum, bonum. Omne ens est vel necessarium vel contingens, vel prædicamentale, quod occurrit in rebus prædicamentalis, e.g. homo est pulcher, doctus, magnus.

\*\* Loquitur Canon de analogis proportionis, quod si absolute & sine additamento ponuntur, eam animo imprimunt significationem, quæ est usitatior & vulgatio.

\*\*\* Uti in præcedenti Canone sermo fuit de Analogia proportionis (ut Scholastici loquuntur) quæ pertinet ad æquivoca, sic hic Canon valet de Analogia attributionis, quæ ad Synonyma refertur.

\*\*\*\* Distinguitur inter attributionem intrinsecam & extrinsecam & sic limitatur Regula: Cui concretum intrinsece competit, eidem abstractum quoque intrinsece inhærebit; Cui vero concretum extrinsece per externam denominationem tribuitur, illi non statim abstractum physice inhære debet, sed sufficit, quod per veram competentiam abstractum ipsi attribuat v. 9. cum dicitur, paries videtur, pecunia amatur, τὸ videri vera & logice parieti tribuitur, uti τὸ amari pecuniæ, sed non physice & inhære, ac si visio in pariete, & amor in pecunia, velut in subjecto inhæreat.



## DE INDIVIDUO ET PRÆDICABILI.

- I. Individuum \* est ens aliquod singulare, quod non potest dividi logice in plura inferiora, nec prædicari de aliis. \*\*
- II. Individuum est vel substantiale, sc. certa quædam substantia, e. g. Petrus, Paulus, hæc avis, ista arbor: vel accidentale sc. certum aliquod accidens, e. g. hæc fortitudo, ista justitia, hic color.
- III. Individuum est etiam vel vagum, vel signatum. Prius est quod effertur signo particulari, quidam, aliquis, e. g. Quidam homo est dives. Posterius effertur (1.) per nomen proprium, e. g. Abrahamus, Moyses. (2.) Per pronomen demonstrativum, e. g. Hic fructus arboris, hæc mulier. (3.) Per circumscriptionem, e. g. Apostolus qui Christum prodidit, i. e. Judas. Qui Christum ter abnegavit, i. e. Petrus. Et (4.) per nomen aliquod commune, quod κατ' ἐξοχήν pro proprio ponitur, e. g. Propheta dixit, h. e. Esaias, vel Apostolus inquit, h. e. Paulus.

B

IV.

\* Hic non fermo est de individuo Physico, quod atomus est, minimum naturæ corpusculum, sed de individuo logico, quod non potest dividi in plura inferiora, uti genus in suas species, & species in sua individua. Est enim individuum logicum ultimum in scala prædicamentali, alias physice dividi potest sc. in suas partes, uti Petrus in partes suas essentielles, & Jesaias, uti ferunt, serra e cedro facta, dissectus est.

\*\* Individua directe & naturaliter inepta sunt ad prædicandum. Indirecte tamen seu præter naturaliter prædicari h. e. stare loco prædicati possunt (1.) tautologice, e. g. hic homo est Petrus (2.) negative, e. g. Johannes non est Paulus. (3.) Figurata vel tropice, e. g. Johannes est Elias Matth. XI. 14. sc. virtute, zelo, &c. & quia non affirmative ac directe individuum loco prædicati poni potest, contradistinguitur prædicabili, quod loco prædicati poni potest.



- IV. Prædicabile est, quod prædicari potest de aliis.  
 Vel loco prædicati poni potest in enunciationibus.\*
- V. Dantur quinque prædicabilia. Genus, Species,  
 Differentia, Proprium & Accidens.

## CANONES.

- I. Individua sunt fundamenta Generum & Specierum.  
 Species enim constituuntur ex collectione Individuorum,  
 & Genera ex collectione Specierum. Ergo species fun-  
 dantur in individuis, & genera in speciebus. Sublatis au-  
 tem individuis, tolluntur Species & Genera.
- II. Individua sunt incommunicabilia. Nimirum κατὰ  
 μέθεξιν ad modum universalium.

### CAP. III.

## DE GENERE, SPECIE ET DIFFERENTIA.

- I. GENUS est Synonymum, quod de pluribus spe-  
 cie differentibus prædicari potest in quid, e. g. ruta,  
 falvia, lavendula, veronica, &c. sunt specie diversa, vel sunt  
 distinctæ species, & de hisce omnibus prædicatur herba tan-  
 quam illorum genus per quæstionem in quid, vel quando  
 quæro quid est ruta? Rf. est herba. Quid est falvia? Rf. est  
 herba, &c.\*\*

II.

\* Deus neque individuum neque universale vel prædicabile logicum est. Non prius est, quia neque sub specie neque sub genere stat, licet sub conceptu communiore Deus sit, ut ens est, Spiritus, substantia. Et deinde quia ei non repugnat aptitudo inessendi aliis, & de illis prædicandi, quod tamen repugnat individuo. Sic Deus est in Patre, Filio & Spiritu S. & de hisce *συνανύμως* prædicatur. Non etiam posterius est, quia Deus non prædicatur de Patre, Filio & Spir. S. cum multiplicatione essentia. Est enim in S. S. Trinitate quidem *ἄλλος καὶ ἄλλος*, non autem *ἄλλο καὶ ἄλλο*.

\*\* Recte dico admodum universalium, quomodo superiora suis inferioribus essen-  
 tiam



II. Genus est vel summum i. generalissimum, quod aliud genus supra se non habet, & nunquam fieri potest species, ut est vox substantia & accidens. Vel subalternum, quod respectu inferioris est genus sed in respectu ad superius est species. Et hocce genus subalternum a nonnullis logicis iterum distinguitur in medium & ultimum. Prius est quod intra summum & ultimum genus reperitur in scala prædicamentali, ut est corpus, mixtum, vivum. Posterius autem est quod supra speciem infimam proxime exstat, ut est animal.\*

### Scala prædicamentalis.

Substantia.  
 Spiritualis, Corporea.  
 Corpus.  
 Simplex, Mixtum.  
 Mixtum.  
 Inanimatum, Animatum.  
 Vivum.  
 Non sentiens, sentiens.  
 Animal.  
 Irrationale, Rationale.  
 Homo.  
 Petrus, Johannes, Paulus. III.

tiam suam & omnia sua prædicata essentialia communicant, uti genera species, & species individuis. Alias κατά συνδυασιν, seu propter intimam unionem & effective individuum communicabile est. Sic uni substantia tum completa tum incompleta alteri; unum accidens alteri communicatur. Ut patet ex Christo, ex ferro ignito, ex aqua falsa &c. Sic efficiens singulare influxum suum communicat effectui.

\* Adhuc distinguitur inter genus remotum & proximum. Prius est quod non proxime supra speciem stat. Posterius autem est quod proxime supra speciem reperitur, e. g. Hominis proximum genus est τὸ animal, remotum autem est substantia, corpus, &c. Temperantiæ proximum genus est virtus, remotum autem est accidens, qualitas &c. Præterea genus distinguitur in univocum, de quo species æqualiter participant, & analogum, de quo species, inæqualiter participant. Vid. c. I. §. VII. de Synonymis.



III. SPECIES est Synonymum, quod de pluribus numero\* tantum differentibus prædicari potest in quid. e. g. Abrahamus, Isaacus, Jacobus, numero differunt, & de quolibet prædicari potest vox homo tanquam species, quando quæritur, quid est Abrahamus? Quid Isaacus? &c. E. homo est species.

IV. Species est vel subalterna quæ idem est, quod genus subalternum, vel specialissima, quæ immediate individua sub se continet, e. g. Animal, vivum, &c. respectu substantiæ erant species subalternæ, sed homo erat species specialissima.

V. DIFFERENTIA est synonymum quæ cum genere constituit certam speciem, & prædicatur de pluribus in Quale Quid, e. g. Sic τὸ rationale (tanquam differentia) cum animali (tanquam genus) facit hominem (ut speciem certam) quando quæro quid est homo? Rf. est animal. Quale animal? Rf. rationale.

VI. Differentia alia est accidentalis & alia essentialis. Prior est, qua unum ab altero differt accidentaliter, e. g. mediante fide, eruditione, pulchritudine &c. unus homo ab altero accidentaliter differt. Posterior est, qua unum ab altero differt essentialiter, vel per peculiarem differentiam spe-

---

\* Quemadmodum genus prædicatur de pluribus specie diversis (die dem Wesen nach unterschieden seyn.) Piscis prædicatur tanquam genus de lupo, salmone, balæna &c. Als welche den Wesen nach unterschieden seyn. Ita species prædicatur de pluribus numero tantum diversis, h. e. Die der Zahl nach unterschieden seyn, nicht aber dem Wesen nach/ e. g. De Saule, Davide & Salomone (qui numero tantum differunt) prædicatur vox homo (tanquam species) NB. Tres divinitatis personæ etiam differunt numero, quia numerus 1. 2. 3. ipsis applicari potest, sed de hoc discrimine numerali sermo hic non est. Verum species sub se continet plura individua, & de illis prædicari potest non tantum distinctus numerus, e. g. 1. 2. 3. &c. Sed singulis peculiaris essentia etiam competit distincta, ut possim dicere, quot sunt personæ, tot etiam sunt peculiare essentiæ. Id autem de tribus Deitatis personis dici nequit.



specificam, e. g. Mediante inspiratione divina differt S. Scriptura ab omnibus libris, quia nullus liber divinitus est inspiratus quam S. Scriptura. \*

## CANONES.

- I. Genus sua specie latius & superius est. ( $\alpha$ ) Latius quia multas species sub se comprehendit. Et ( $\beta$ ) superius, quia ponitur supra speciem. Male ergo fit, quando electio constituitur Species prædestinationis, quia prædestinatio non est latior electione, sed cum ea æqualis est latitudinis. Ephes. 1. 4. 5.
- II. A genere ad certam speciem determinatam non valet consequentia. Nimirum in prædicatione universali & affirmativa. Sic non valet, adest in stabulo animal. Ergo adest canis, quia potest adeste equus. In particulari & negativa recte procedit canon, e. g. Non est substantia, Ergo nec est corpus.
- III. Nulla species interiit. Loquitur canon de specie physica. Uti novæ species hodie non oriuntur, ita propter providentiam Dei nullæ species pereunt. Mulus & gallinæ hinc non sunt novæ species, sed potius monstra.

B 3

IV.

---

\* Habetur alias etiam differentia generica & specifica. Prior est, quæ genus constituit subalternum, quod etiam respectu superioris in scala prædicamentali species esse potest, ut  $\tau\theta$  sensitivum vel animatum differentia est animalis, quæ ab inanimatis distinguitur, homini cum bruto communis. Posterior autem est quæ speciem in ultimo esse constituit certam, & eam ab aliis distinguit, ut  $\tau\theta$  rationale est, per quod homo constituitur in specifico esse suo & à bruto distinguitur. Per differentiam specificam omnes definitiones de jure fieri debent, Quia vero paucissimarum rerum differentie nobis sunt cognitæ post lapsum, ad propria cogimur recurrere, quæ per effectus suos a posteriori nobis innotescunt. Unde Democritus non sine causa veritatem in puteo profundissimo latere conquestus est.



IV. Magis & minus non variant speciem. Ergo magna fides & parva fides, doctus & doctior non differunt specie.

V. Sola differentia specifica speciem constituit. Ergo rō scriptum, lectum vel prædicatum, non variat verbum Dei essentialiter, quia hæc tantum sunt accidentia, quæ Dei verbo obveniunt. Quod notandum contra Pontificios.

CAP. IV.

DE PROPRIO ET ACCIDENTE.

I. PROPRIUM est quod de pluribus specie vel numero diversis prædicari potest in Quale necessario, e. g. Hoseas, Joël, Amos, numero differunt, quando de his quæritur, quales sunt? Rf. Risibiles, flebiles, suntne ita necessario? Aff. Ergo risibilem esse aut flebilem, est proprium Hoseæ, &c. & omnis hominis.

II. Quadruplex vulgo proprium est. (1.) Quod soli speciei accidit, sed non omni ejus individuo. e. g. Doctorem Theologiæ esse competit soli homini, sed non omnibus hominibus. (2.) Quod omni quidem individuo convenit, sed non soli speciei, e. g. Oculatum, bipedem esse, competit quidem naturaliter omnibus hominibus, non autem solis nam avibus etiam id competit. (3.) Quod soli speciei, & omni ejus individuo convenit, sed non semper, e. g. actu ridere, flere, &c. Soli & omni homini competit, sed non semper. (4.) Quod soli speciei omnibus ejus individuis & semper competit, e. g. risibilitas soli, omni homini & semper competit.



petit. Credere in Christum soli Christiano vero, omni & semper competit. \*

III. ACCIDENS est quod adesse vel abesse potest sine subjecti interitu, & prædicatur in Quale accidentaliter, e. g. τὸ doctus, pulcher, fidelis & adesse & abesse potest sine hominis interitu, vel neque illius affirmatio neque negatio hominis essentiam tollit & prædicatur de illo accidentaliter, quando quær. Qualis est homo? \*\*

IV. Huc pertinet duplex modus prædicandi. (1.)

Synonymicus, qui alias dicitur essentialis & quidditativus, quando de subjecto prædicatur vel genus, vel species, vel differentia specifica, e. g. Baptismus est sacramentum. Hæc herba est veronica. Animal est sentiens. (2.) Paronymicus, qui alias dicitur extra essentialis & qualificativus, quando de subjecto prædicatur vel proprium, vel accidens, e. g. Verus Christianus est fidelis. Petrus est Apostolus.

## CANONES.

I. Propria intelliguntur non de actu, sed de potentia.

Agit canon de proprio in quarto modo, & hoc est posse ridere, flere, &c. non autem actualis risio & fletus. Prius enim semper & necessario homini competit, non autem posterius. II.

\* Proprium est alias vel genericum vel specificum. Vel intrinsecum vel extrinsecum. Vel unum vel disjunctum. Sed vide de his Saur. in Log. p. 93. sq.

\*\* Accidens est vel separabile, quod facile a subjecto suo separari potest, e. g. calor de aqua, nigrigudo de tabula, formositas de muliere. Vel inseparabile quod vel nullo modo vel difficulter abesse potest salvo manente subjecto, e. g. nigredo corvi s. æthiopis, candor cygni aut nivis, albedo lili, infirmitas senis. &c. Porro accidens est vel prædicabile, de quo hic agitur, vel prædicamentale de quo in c. III. Sect. II. Prius quandoque potest esse substantia, posterius nunquam. Prius opponitur, proprio, posterius substantiæ. Peccatum Originis est accidens prædicamentale non autem prædicabile. Vid, Saur. L. c. p. 97.



**II. Proprium distinctum est nota distinctæ essentiæ.**

Sic risibilitas & latrabilitas (liceat ita loqui) sunt propria distincta, & ostendunt distinctas essentias, risibilitas ostendit etiam essentiam humanam, & latrabilitas essentiam caninam. Hinc ubi ignoratur forma specifica, substituitur ejus loco proprium, uti patet ex definitionibus Physicis fere omnibus.

**III. Propria communicari possunt.** Requiritur autem ut subjecta, inter quæ communicatio versatur, non separata, sed immediate conjuncta sint, uti ferrum candens est, ubi ignis est unitus cum ferro, vel uti homo est, ubi anima unita est cum corpore, vel uti Christus est, ubi divina persona filii Dei arctissime unita est cum humana natura. In primo exemplo ignis communicat ferro calorem & splendorem. In secundo exemplo anima communicat corpori vivacitatem & sensibilitatem. Et in tertio exemplo communicat divina Christi natura humanæ naturæ omnipotentiam, omniscientiam, &c.

**IV. Non omne, quod accidentaliter prædicatur, est accidens, e. g. Sic lignum, quod prædicatur accidentaliter de mensa, quia alias & lapidea esse potest. Hoc modo de Deo etiam prædicatur quod sit Creator & Redemptor.**














Verfertigt  
von  
L. A. GARBÉ  
Rostock  
Breite Str. 25.









the scale towards document

...i, nemo enim nostratium negavit sæpe Scri-  
obscuram, modo non iniis, quæ necessaria  
em.

principii est, cum idem per idem, incer-  
que incertum probatur. e. g. Terra mo-  
circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *av-*  
pa infallibilis est, quia non errat.

consequentis est, quando ex antece-  
se infertur consequens. e. g. Fides justi-  
sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec  
E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.

\* secundum non causam ut causam est,  
sa apparens & per accidens confun-  
vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit no-  
nimis nummatus. Deus permittit ut homo  
eius est peccati causa.

olurium interrogationum \* est, cum  
rsæ quæstiones in una complicantur, ad  
otest categorice responderi. e. g. Estne  
aria adoranda? Hæc quæstio neque simpli-  
da neque neganda est, sed primo separan-  
ctum, & deinde ad prius pertinet affirmatio,  
is negatio.

CANO-

exemplum: Deus prævidit Adamum lapsurum. E. necessario  
en Dei prævisio non est causa lapsus, sed abusus liberi arbi-  
Diaboli.

tionibus miscentur, (1) quoties subjecta plura non subordinata  
unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima  
2) Cum de eodem subjecto diversa prædicata dicuntur, e. g.  
Deus, & iuste a Pilato crucifixus?